



Ideo locum hunc nominabant jubulum peregrinorum. Ad latus ergo Sylo existentes vidimus adhuc magnos antiquos muros et ecclesiarum ruinas, in montis supercilio: et coniectis oculis contra orientem vidimus montem sanctum, montem praeclarum, montem Oliveti, et ecclesiam dominicae Ascensionis in ejus cacumine: civitatem tamen sanctam videre non poteramus, quamvis propinquior nobis fuerit monte Oliveti. Viso autem illo sanctissimo monte cecidimus de asinis et cum devotione et jubilo contra montem adoravimus. Visio enim a longinquo istorum sanctorum locorum miro modo hominem laetificat devotum. Consequenter postergavimus Sylo, et procedentes venimus in castellum Emaus sacrum, quod secundum Lucam, Luc. ultimo, distat a Jerusalem LX. stadiorum, quae faciunt VII miliaria italica et unum et dimidium theutonicum. Et LX. stadia faciunt septem milia passuum et quingenta. In illo castello descendimus de asinis et per maceriam ad locum ingressi sumus, ubi hospitium fuit Domini Jesu, et duorum discipulorum, Lucae et Cleophae, in die resurrectionis Domini, quando ut peregrinus intravit cum eis (91 A) coactus, eumque in fractione panis cognoverunt. Hunc locum cum debita devotione deosculati sumus et indulgentias recepimus (†). Ecce peregrine, illa sunt prima vestigia Domini Jesu Christi, quae deosculari meruisti. Et certe bene et pulchre ordinavit divina sapientia, quod peregrino misero et laboribus confecto properanti in Jerusalem occurrat ex ea Dominus ille gloriosissimus peregrinus, cui dictum est: tu solus peregrinus es in Jerusalem, et in ejus consolationem exhibuerat jam glorificati corporis sacratissima et laeta vestigia ante omnia, quatenus his consolatus et confortatus possit sequi in Jerusalem vestigia sacra ignominiosae passionis, ad quod hortatur Petrus, 1. Petr. 2. Christus, inquit, passus est pro nobis: vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. In hoc loco corda discipulorum ardentia fecit, panem eis tribuit fractum, quod nonnulli doctores dicunt fuisse eucharistiam, quam ibi ultimo confecit, et cito recurrere in Jerusalem permovit. Dicunt enim quidam, quod illi duo discipuli ex toto recesserunt a Jerusalem, et a discipulis, nolentes amplius regredi: sed hic eos reverti fecit, unde eadem hora regressi sunt in

249

247

253

243

258

238

298

198

348

148

Ende

Anfang